



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 31. Exitus Augustani conventus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](#)

§. XXXI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.*Exitus Augustani conventus.*

Cum autem nihilominus Deputati for- *Thu. l. 5.*  
mulam acceptare recusarent, Gran- *Sleidan. l. 21*  
vellanus eos minis terrere cœpit, nec *p. 736.*  
tamen ullo pacto eorum pertinaciam  
frangere potuit, unde Imperator die ul-  
tima Junii comitiis finem imposuit,  
prius tamen decrevit, omni studio in id  
incumbendum esse, ut Synodus Tridenti  
continuaretur, necnon decretum  
*Interim* rursus promulgaretur, addito  
mandato, illud absque ulla exceptione  
recipiendum esse. Finitis itaque co-  
mitiis Imperator Imperii Ordines, ac  
Principes rogabat, quatenus suos quo-  
que Deputatos ad Concilium decerne-  
rent, quamprimum obstacula a Ponti-  
fice posita cessaverint. Præterea pro-  
missis fidei publicæ literis omnes Eccle-  
siasticos, necnon Confessioni Augustanæ  
addictos, ut & ipsi Concilium accede-  
rent, invitabat, potissimum eo nomine, ut  
ibidem eorum causa juxta Christianæ  
prudentiæ leges dijudicaretur, ac sepo-  
rito privatæ utilitatis studio definitiones  
nonnisi sacris Literis innixæ promulga-  
rentur, ac denique eisdem, prout æ-  
quitas tulerit, differendi facultas con-  
cederetur.

P p 4

Ter-

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

Tertia demum Mensis Augusti die Cæsar convocatis Augustanis Senatoribus, aliisque civium præcipuis per Hel- dum nomine suo hæc significari jussit: *Turbulenter, ac seditione plurimis nunc an- nis administrata fuit vestra res publica, e- jusque rei cauſsa est, quod in Senatum ad- lecti fuerint de media plebe homines imperiti,* & opifices, nullam ad rem minus, quam ad gubernationem idonei: ego vero, qui Civita- ti bene consultum volo, ut huic malo me- dicina fiat, exauthorare debo eos omnes, non quidem ignominia, sed communis utili- tatis cauſsa.

His dictis Cæsar quosdam alios prioribus subrogabat, ac nominatione facta illos, quos in Senatum adlegebat, fidei jurejurando sibi obstrinxit, eosque hortatus est, ut officii sui munia cum summa integritate obirent, ac decreto Religionis parerent, omnemque obedientiam Cæsari præstarent. Postea opifi- cum Tribus simul abrogavit, literasque omnes, quibus earum privilegia conti- nebantur, mox novo Senatui exhiberi jussit, atque indicta capitis poena sanxit, ne qua civium deinceps conventicula fierent. Novam hanc Reipublicæ for- man postea clausis omnibus urbis por- tis voce Praeconis publice promulgari, ac varias civitatis stationes valido mili- tum præsidio firmari præcepit: Sena- tus

tus vero Cæsari gratias ob tam pater- Sæcul. XVI.  
nam follicitudinem rependens omne ob- A.C. 1548.  
sequum eidem pollicebatur.

§. XXXII.

*Argentinensium epistola ad Cæsarem.*

L onge minorem obsequendi voluntate exhibebant Argentinensium Deputati; hi enim ad Cæsarem Galli-

ce, cum huic idiomati multum affectus esset, epistolam dederunt, in qua hæc exponebant: *Religionis decretum convocatis, & adhibitis nostræ civitatis theologis, totum diligenter expendimus: Et quamquam in ea reperiantur, quæ non omnino dissident a sacris literis, quoniam tamen ita scripta sunt, ut in plerisque sit opus explicatione majori, perdifficile nobis est, atque grave, sic illa recipere; nam persuasissimum nobis est, doctrinam nostram, atque ceremonias congruere cum verbo Dei, neque posse a nobis, nisi cum offenditione Dei, & vulnerè conscientie, vel deseriri, vel immutari prius, quam facta sit cognitio, & nostri etiam homines auditi: hæc enim consuetudo semper fuit inde a prima ætate Ecclesiæ, ut a legitimis conventibus dubia, & controversa definirentur. Hæc quoque ratio semper omnium optima visa fuit in imperii comitiis, ut pio concilio res tota permitteretur: itaque per omnia sacra, perque Sanguinem Christi regamus,*

Pp 5 gamus.